

PROLOGVS

Postquam poeta sensit scripturam suam
ab inquis observari, et advorsarios
rapere in peiores partem quam acturi sumus,
indicio de se ipse erit, vos eritis iudices
5 laudin an vitio duci factum oporteat.
Synapothnescontes Diphili comoediast:
eam Commorientis Plautu' fecit fabulam.
in Graeca adulescens est qui lenoni eripit
meretricem in prima fabula: eum Plautus locum
10 reliquit integrum, eum hic locum sumpsit sibi
in Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.
eam nos acturi sumu' novam: pernoscite
furtumne factum existumetis an locum
reprehensum qui praeteritu' neglegentia*st.*
15 nam quod isti dicunt malevoli, homines nobilis
hunc adiutare adsidueque una scribere,
quod illi maledictum vehemens esse existumant,
eam laudem hic dicit maxumam quom illis placet
qui vobis univorsi et populo placent,
20 quorum opera in bello in otio in negotio
suo quisque tempore usust sine superbia.
de(h)inc ne exspectetis argumentum fabulae,
senes qui primi venient i partem aperient,
in agendo partem ostendent. facite aequanimitas
25 poetae ad scribendum augeat industriam.

5

10

15

20

25